

**Magnis literarum patronis ...
æstimatoribus rector academiae
Aboënsis Herman...**

Ross, Herman,

17 Taad Fol.



National Library
of Sweden

MAGNIS
 LITERARUM PATRONIS,
 ET
 ÆSTIMATORIBUS
 Rector Academiæ Aboënsis
 HERMANNUS ROSS,
 S. P. D.



Magnum est & præclarum, divinarum humanarumque rerum cognitione imbutum esse; majus, si ad scientias ingenium, ad virtutes animum quis adulerit, ut, quod rectum honestumque est, non plures modo intelligant, sed quisque etiam scite & decenter faciat. Etenim qui concessis à Numine, non ad eas, quæ omnes circumstant calamitates curasque depellendas utitur, is sane quorsum tanta bona comparata sint, mortalibusque data, nescire videtur, tanto infelicior, ut quorum mutuo nexu ad felicitatem contendere deberet, eorum sejunctione sibi gravis, talis molestus, alio in transversum acta mens ægra fertur. Ecquid istud sapere est, magno labore conquirere opes, congerere thesauros, quibus inops atque egenus, squalore & ruginè obsitus immoreris, forte an immoriaris? istud est, tanto eruditionis & scientiarum adparatu celebrari, doctrinæ laude ferri, disertorum defungi gloria, juxta vero æque esse miserum, animique quibuscumque confictaris morbis, nullam adferre medelam didicisse? Fateor pulchrum esse & Magnificum, ut certe jucundius eo aut utilius quicquam cogitare nequit, in vitæ humanæ theatro, actionumque speculo, sapientiæ & virtutum vitiorumque documenta, profutura & nocitura, rerum vicissitudines, omniumque quasi temporum & locorum consilia atque acta contemplari; largior adprime jucundum & utile, rerum publicarum revolutiones & fata, prospera & adversa novisse; quæ vita civium, qui mores, quibusque artibus domi militiæque & partum & auctum imperium, ex quibus utique Studiis & similibus horum, Moralis Philolophiæ & civilis prudentiæ fundamenta sapientissimus quisque sumit; nec comitioris hodie aut perfectioris prudentiæ genus haberi dixerim, quam quod cum præsentibus antiqua contendat & subacto judicio traçter: ac cum vita interim infinitis vitiorum barbarismis scætet, si summum illud vitæ beatæ quod in sphæra civili speretur, attingi posse dubitarem, nihil equidem committeremus alieni; nisi adfirmaverimus, frustra esse datam nobis ab immortali Numine mentem, prudentiam, curamque justitiæ, virtutisque & legum, & quicquid in hominibus & per homines pulchrum intenditur, quod nemo sui compos comprobaverit. In cæteris rebus, in corporis cultu, in victu & vestitu squalorem vitamus; ornatum contra & elegantiam diligimus, eaque generosiores mentes à sequioribus distinctas volumus: cur minus illam curamus in moribus, ne & illi politiores vitæ que cultior reddatur? At vero, istud demum est sapere, eo eniti, ut pulsus, quæ animum circumsepiunt tenebris & erroribus, intellectu rectiora verioraque edocto, flectatur ad saniora mens, cultioremque ad vitam moresque magis compositos adducatur. Et sane Academiæ, id nunquam, cujus gratia sunt, labore ullo adsequentur, quamdiu aut virtuti sine veritate aut veritati sine virtute se lirare arbitrantur, qui literarum inclarescere Studiis cupiunt. Hæc institutio si aut neglectui, aut parum caute & prudenter habita fuerit, barbaries prius non animadvertetur, quam rempublicam invadat & occupet fœdissima: In hac ut in semine spes messis; ita omnis non solum rerumpublicarum felicitas, verum etiam totius vitæ reliquæ expectatio est posita. Cum vero in medio sit ratio utrique subveniendi, quorsum & labores & consilia eorum qui publico nati sunt, tendere debent; hinc princeps hoc semper sapientioribus studium fuit, rati illud præstabilius, esse in secunda arte primum, quam in prima secundum. Nemo est qui ignorat, quanta cura Serenissimi Principes hoc egerint & adhuc agunt non modo ut literarum domicilia constituentur, sed & suo veritatis & virtutum splendore corruscent, plurimumque ad vitæ morumque mitigandam asperitatem conferant. Subiectissima proinde devotæ mentis contentione agnoscimus, agnoscentq; nobiscum omnes boni, & quos ulla publicæ rei nostræ cura tangit, POTENTISSIMI REGIS **FREDERICI** Clementiam, quam in Restauranda primum, mox ornanda tuendaq; hac Academiâ Illustri bonarum scientiarum sede, aliquamdiu oppressa jam Patriæ reddita, demonstravit, solidam reputans gloriam non quam arma & cruenta bella, sed quam prudentia & sapientia, summa illa felicitatis sulcra, pariant. Quo nomine est quod Prælustri hæc in Finlandia Academiâ Regiâ, sibi majorem in modum gratuletur, cum concordibus suffragiis, Ordini PROFESSORIO admoveretur VIR eruditionis & doctrinæ fama insigniter clarus, AMPLISSIMUS DN. MAG. ALGOTHUS A. SCARIN, qui Regiis munitus literis Publicum & Ordinarium munus docendi Philolophiam Moralem jam aditurus est. Credite mihi, nacta est hæc Musarum sedes Virum non imparatum ab iis, quæ ad ornandam hanc Provinciam faciunt; Quem Antistites Musarum dignum censuerunt, cui non tantum in Illustri Bibliotheca Uptaliensium publica, vicarias committerent partes explendas, facta sic occasione, præclaris ante studiis in altitudinem justam proferendis; sed & Quem politioris literaturæ summas partes interpretantem, Studiola juvenis audiret, inde nulli dubitamus, quin demandatam hanc spartam strenue sit exornaturus. Quo vero solenniora sint Amplissimo Viro Professionis Ordinariæ inertia, Oratione auspiciali de nexu Philolophiæ moralis cum Studio Historiarum faciendâ, rogantur Literarum Patroni & Æstimatores Civesq; pariter Academici, reverenter, officiose & amice, ut præsentia sua d. viii hujus mensis, hor. 9 in Auditor. Majori ipsum actum Inaugurationis condecorare non graventur. Dab. Aboæ d. v. Octob. Anni MDCCLXXIII. sub Sigillo Universitatis.



